Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35473
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

sicut consolati. Ympnus

Telluris ingens conditor mundi solum qui eruens: pulsis aque molestiis terram dedisti immobilem. Ut germen aptum proferens fuluis decora floribus: fecunda fructu sisteret pastumque gratum redderet. Mentis peruste uulnera munda uiroris gratia ut facta fletu diluat motusque prauos atterat. Iussis tuis obtemperet nullis malis approximet: bonis repleri gaudeat et mortis actum nesciat. Presta pater. V. Dirigatur domine oratio mea. Sicut incensum in conspectu tuo. Feria quarta ad vesperas psalmi

Nisi dominus edificauerit domum: in uanum laborauerunt qui edificant eam. Nisi dominus custodierit ciuitatem: frustra uigilat qui custodit eam. Uanum est uobis ante lucem surgere: surgite postquam sederitis qui manducatis panem doloris. Cum dederit dilectis suis somnum ecce hereditas domini filii merces fructus uentris. Sicut sagitte in manu potentis: ita filii excussorum. Beatus uir qui impleuit desiderium suum ex ipsis: non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta. An. Nisi